UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia Sacra Et Hvmana Libri XVI

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1634

Ethopœia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70090

Visual Library

Epitimeſis.

Iul. Ruf. p. 37.

Eſt etiam proxima figura, cum aduerſarium iiſdẽ verbis, quibus ab eo laceſſiti ſumus, percutimus. Vt in illo, *Quæ deus in fraudem, quæ dura potentia noſtra* Egit? vbi hoc Iuno, quia ſcilicet, Venus dixerat, ſi nulla eſt regio Teucris, quam det tua coniux dura. Et, Bis capti Phryges. Latine dicitur obiurgatio.

Epitrechon.

Hermog.

Ἐπιτρέχον percurſio, vbi res, & ſententiæ ſumma velocitate percurruntur, & diſcutiuntur. Eadem eſt cum Epitrochaſmo. Herm. lib. 2. de formis dicẽdi.

Epitrope.

P. Rutil. p. 10.

Hoc fieri ſolet, cum alicui rei vehementer confidimus, & noſtro iure iudicibus largimur: vt quemadmodum videtur illis, conſtituant, atque ei pareamus. Hyperidis, ſed ego iam iudices ſummum, ac legitimum, quod expoſui, meæ cauſſæ ius omitto: vobis, quod æquiſſimum videatur, vt conſtituatis, permitto. Non enim vereor, quin etiam ſi nouum vobis inſtituẽdum, libenter id, quod poſtulo, propter vtilitatem communis conſuetudinis ſequamini.

Permiſſio.

Iul. Rufini. p. 28.

Epitrope. Hæc ſit, cum figuratè concedimus, quod velit, quis faciat: vt, Virg. Æneid. 1.

I, Sequere Italiam ventis, pete regna per vndas.

Et Cic. in Catilin. Quid expectas? proficiſcere: nimium iam diu te Imperatorem illa tua Manliana caſtra deſiderant.

Epizeuxis.

Siue Diploſis, geminatio vnius verbi, vel plurium in eadem ſententia duplicatio: vt, Vos appello fortiſſimi viri. Quint. lib. 9. c. 3. diſtinguitur ab Anadiploſi, quod hæc ſit in diuerſis ſententijs. Anadiploſis eadem, & reduplicatio.

Erotema.

Aquil. p. 15.

Interrogatum. Eo vtimur, vbi exacerbando aliquid interrogamus, & augemus eius inuidiam, hoc modo: Fuiſtine illo in loco? dixiſtine hæc ita geſta eſſe? renuntiaſtine ea quibus decepti ſumus? Hæc enim ſi ſine interrogatione dicantur, ad hunc modum, hic fuit illo in loco, & ita eſſe geſta dixit, & falſa renuntiando nos decepit: hæc ſi prolata minus inuidioſè proferentur.

Errorꝰ inductio.

P. Rut. p. 6.

Numeratur à Cicerone inter figuras, quam Scaliger refert ad ironiam l. 3. c. 91.

Ethologia.

Morata oratio, qualis eſt iſta Lyſiæ.

Rure rediens, iudices, homo maior natu, magno calore, vix ſufferens viæ moleſtiam, tamen his verbis egomet me conſolor: fer fortiter demum laborem; iam breui domum venies expectatus: excipiet te defatigatum diligens, atque amans vxor: ea ſedulo, ac blandè præminiſtrando detrahet languorem, & ſimul ſeniles nutriendo recuperabit vires. Hæc me in itinere cogitatio prope confectum confirmabat. Poſteà verò, cum domum veni, nihil earum rerum inueni: ſed potius bellum inteſtinum ab vxore, contra me comparatum. Item Demoſthenis, At medius fidius, iudices, ego ſic arbitrabar, filium ad patrem diſſoluto vultu venturum, lachrymis patrium ſinum oppleturum, ſupplicem precaturum, obſecraturum, blanditia ſua, quod petiſſet, à patris mollitie impetraturum. Sed hic longe aliter: namque incredibili confidentia armatus, ad patrem aduolauit ſicut hoſtis: atque initium ſermonis, cum iurgio ſumpſit.

Ethopeia.

Aquil. p. 4.

Moralis confictio. Hæc figura differt à Proſopopœia, eo, quòd & ibi perſonas fingimus, quæ nuſquam ſunt: hic certis quibuſdam perſonis verba accommodatè adfingimus, vel ad improbitatem earum demonſtrandam, vel ad dignitatem. Tale eſt illud pro Quinctio. Quid Sex. Næuius ad hæc? ridet noſtram amentiam, ſcilicet, cum ab eo officia boni viri deſideramus. Et quemadmodũ natus, inquit, & quemadmodum educatus ſum memini. Verus eſt, de ſcurra diuitem facilius multò, quam patrem familias fieri poſſe, &c.

Iul. Rufini p. 36.

Ethopœia, eſt alienorum affectuum qualiumlibet, dictorumq; imitatio, non ſine reprehenſione. Latinè dicitur figuratio, vel expreſſio.

Euche

Precatio. Virg.

Da nunc Tymbre pater ferro, quid miſſile librο.

Iul. Ruf. p. 3[illegible]

Cic. in Catilinam, cum inuocat Iouem ad pœnam coniuratorum, atque ita concludit, Æternis ſupplicijs viuos, mortuoſque mactabis.

Exallage.

Ἐξαλλαγὴ immutatio, & diuerſitas. Vbi

varia

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN